

M B N

1 5 5 2



5. *Fb 347* 5

**P R I M A**  
**RVDIMENTA DIA-**  
lecticæ pro incipientibus ex res-  
centiore Philippi Melan-  
thonis Dialectica  
excerpta.

Per Doctorem Nicolaum  
Medlerum.

1 5 4 9.

*Præ ad sententiam, maximam partem  
Thales*

*Ne forma, sed animus ut videtur  
Istius de vniuersis  
Cleobulus*

*Nulla conditione meliore opte  
Idem*

*Nihil est inexpugnabile si ligetur*

P R I M A

R V D I M I T A D I A

lectio pro notariis &c

causae & dispensationes

thomae Dickel

scripta

Per Bonifacium Kolman

Medicum

1 7 4 2 1



DOCTISSI=  
MO VIRO, PIETATE  
& humanitate egregia prædito  
Magistro Ioanni Streitbergero,  
in Curia Narischorum Ludili=  
terarij præfecto genero suo  
exoptatissimo.

S. D.



XPERientia iam  
didicisti, gener  
charissime, quan=  
tum laboris & in=  
dustriae, in fideli  
requiratur præceptore qui pue=  
ros suae fidei commissos in hone=  
stis artibus & sanctis moribus re=  
cte instituere uelit, eoque non sta=  
tim omnia quae illis ad discen=  
A ij dum

dum proponas, propter suorum  
ingeniorum imbecillitatem per-  
cipiant. Ideo iuxta sanctissimi pa-  
triarchæ Iacob exemplum, Gene-  
sis XXXij. pedetentim cum hoc  
pusillo grege procedendum est,  
pro eo ac ipsi uestigia nostra se-  
qui possunt, ne onere præcepto-  
rum grauati, & nimium obruti,  
in ipso statim artium limine de-  
ficiant. Quamobrem sicut antea  
in Grammatica me fecisse nosti,  
ita nunc quoque ex recentiore Do-  
mini Philippi Melanthonis, Re-  
uerendissimi præceptoris nostri  
Dialectica, communissima præ-  
cepta excerpfi, ut primum in his  
ediscendis pueros, qui Dialecti-  
cam discere incipiunt, probe ex-  
erceas, priusquam eos ad ipsum  
Philip-

Philippí opus audiendum ad-  
mittas. Cura autem diligenter,  
ut nostræ patriæ communis liter-  
raria iuuentus, simul & in bonis  
artibus, & in ipsa quoq; pietate,  
& uera Christi cognitione fide-  
liter instituat. Bene cum om-  
nibus nostris liberis, Vale.

Brunsuigæ 3. Nonas

Iulij, Anno

1 5 4 8.

Nicolaus Medler sa-  
næ Theologiæ  
Doctor.

quod fit definiendo, cum describimus rem p/a  
diuidendo, cum res p/tes exponimus / 7 / 10 / 11  
namq; ne coheretiam  
triginta) cum  
et p/tem ma vna  
regis q' bonitas

## QVID EST DIALECTICA?

Dialectica est ars seu uia recte, ordine & perspicue docendi.

Quod fit recte definiendo, diuidendo, argumenta uera connectendo, & male coherentia, seu falsa retexendo & refutando.

Quod est officium Dialecticæ?

Recte, ordine & perspicue docere.

Quot sunt huius officii partes?

Quatuor. Definire, Diuidere, Argumenta uera connectere, & male coherentia seu falsa dissoluere.

Vnde nomen est Dialecticæ?

A Greco uerbo διαλέγομαι, quod significat colloquor cum alio collatis opinionibus. Germanice vnterrichten / inde διαλεκτική, ein vnterricht kunst.

Circa quas res uersatur Dialectica?

Circa omnes materias seu quæstiones, de quibus docendi sunt homines.

Quid



*p/a*  
*op/a*  
Quid differunt Dialectica &  
Rhetorica?

Dialectica rerum summas proprijs uerbis nuda  
de proponit. Rhetorica addit ornatum in ijs  
materijs quæ orationis copia & splendore illu-  
strari & uarie pingi possunt.

Quæ est prima diuisio quæ-  
stionum?

Questionum alia est simplex, alia coniuncta:

Quid est quæstio simplex?

Quæ de unico uocabulo quærit, ut quid sit  
uirtus, & proprie interrogatio dicitur.

Quid est quæstio coniuncta?

Quæ de oratione aliqua loquitur, quam Di-  
alectici Propositionem uocant, Vt, An Cometa  
sit stella.

Quomodo tractatur interro-  
gatio simplex?

Quæstio simplex explicanda est per definiti-  
onem & diuisionem.

Quomodo tractatur quæstio  
coniuncta?

*Questio coniuncta argumentis ueris confir-  
manda est, & monstranda est falsitas in contra-  
rijs, quæ fucosa specie ueritati opponuntur.*

## DE PRAE- DICABILIBVS.

*Quare initio in Dialectica tradi-  
tur doctrina Prædicabilium?*

*Quia in definitionibus in uniuersum uocabu-  
la angustiora declarantur per aliqua communia  
ora.*

*Quot sunt Prædicabilia?*

*Quinq; Species, Genus, Differentia,  
Proprium & Accidens.*

*Quid sunt Prædicabilia?*

*Sunt tituli uocabulorum communium, qui  
ostendunt, quæ uocabula quomodo alijs attribu-  
antur. Quæ Porphyrius quinq; uoces, id est, uo-  
cum gradus nominat.*

*Quare dicuntur Prædicabilia?*

*Quia de alijs dicuntur seu commemorantur.*

*Vt, Isaia*

Vt, Isatis est herba, hic herba predicatur de Isatis.  
tude.

Cur Prædicabilia etiam Vniuersalia nominantur?

Quia sunt gradus uocabulorum communium. Naturalis enim ordo est ut angustiora declarantur per communiora.

Quid est Species? *ex Aristotele*

Est nomen commune, proximum indiuiduis, de quibus predicatur in questione quid sit, ut cum querimus, Quid est Plato? Respondetur, Est homo.

Quare hic gradus uocabulorum nominatur species?

Quia ab indiuiduis mens sumit imaginem, quam secum circumferens, accommodat ad omnia cognata indiuidua.

Quid uocas indiuiduum? *plures sunt Joannes*

Nomen proprium, quod non multa significat, sed unum quiddam, sub certa specie ostensum Pronomine demonstratiuo, ut Plato, seu hic homo.

Sunt ne res uniuersales extra intellectionem?

A 5

*Res significatur*

Res sunt extra intellectionem ut hic Ceruus.  
Sed cōmunis illa imago Cerui, quæ uocatur spe-  
cies, non est quiddam extra intellectionem.

### Quid est Genus?

Genus est nomen commune multis speciebus,  
& prædicatur de eis in quæstione, Quid sit, Vt,  
cum quæritur, quid sit equus, respondetur, est  
animal.

### Quomodo differunt Species, item Genera?

Infimæ species dicuntur species specialissimæ,  
quæ sunt proximæ indiuiduis, ut Homo, Equus.  
Summum genus dicitur genus generalissimum, ut  
substantia. Inter hæc cætera dicuntur species su-  
periorum & genera inferiorum, Vt.

Substantia  
expositum  
lixum.  
genus animal  
verba  
artura  
verba artura

Substantia	Genus generalissimum.
Corpus animatū	} Genera & species subalterna.
Animal	
Homo	Species specialissima.
Plato	Indiuiduum.

### Quid est Differentia?

Differentia est, quæ cum genere constituit  
certam speciem, & de specie prædicatur in  
quæstione.

questione. Quale sit, ut homo est animal, Si quaeritur quale: respondetur, rationale.

Quotuplices sunt differentiae?

Duplices. Generales & Specificae.

Quae sunt generales?

Quae multis speciebus conueniunt, ut sentiens.

Quae sunt specificae?

Ultima, quae uni tantum speciei conueniunt, ut, rationale.

Quid est proprium?

Proprium est inclinatio aut quiddam adiacens, quod uni soli speciei, semper, & omnibus indiuiduis eius inest, ut incedens erecto corpore, est proprium hominis. Sed uerba in definitionibus sepe potentiam non actum significant.

Quid interest inter differentiam & proprium?

Differentia significat partem constituentem, ut, rationale significat mentem quae est pars hominis.

Sed proprium significat quiddam sequens rem constitutam, ut, posse incedere erectum,   
item.

item loqui, numerare, non constituunt hominem.

**Quid est accidens?**

Accidens est, quod non per sese subsistit, nec est pars substantiæ, sed in alio est mutabiliter, ut, aqua calefieri & rursus frigefieri potest.

**Quæ est uulgaris definitio accidentis?**

Accidens est, quod adest & abest præter subiecti corruptionem.

**Quotuplex est accidens?**

Accidentium alia sunt separabilia, ut frigus ab aqua. Alia sunt inseparabilia ut humiditas.

**Quomodo uocantur accidentia?**

Accidentium alia dicuntur abstracta, alia concreta.

**Quid est abstractum?**

Est Substantiuum, quo nuda species seu forma per se considerata significatur, ut albedo.

**Quid est concretum?**

Est Adiectiuum significans subiectum habens formam.

formam, ut paries est albus, ibi album in parietate, non significat nudam formam.

Quæ est utilitas doctrinæ prædicabilium?

Usus prædicabilium præcipui sunt quatuor.

Primum discernunt gradus uocabulorum in serie cuiusq; prædicamenti. Ibi sunt uelut tituli & indices communium & angustarum uocum.

Secundo profunt ad definitiones, quia semper angustiora uocabula definiuntur per aliqua communiora, ut per genus, aut accidentia, item per differentiam & proprium.

Tertio profunt ad iudicandas connexiones uocum, id est, ad uidendum, quæ quibus rectè coniungi possunt.

Quarta utilitas est. Necessario coherent species, Genus, Differentia & Proprium. Et propositiones ex his membris factæ, sunt necessariae. Accidens uero de subiecto non necessario prædicatur, sed contingenter.

Quid est prædicatio?

Prædicatio est in propositione attribui prædicatum subiecto.

Quotuplex est prædicatio?

Duplex. Vera & Falsa. Quid

Quid est prædicatio uera ?

Que cum re de qua aliquid affirmat aut negat, congruit, ut lapis est grauis.

Quid est falsa ?

Que à re dissentit, ut lapis est homo.

Quomodo diuiditur prædicatio uera ?

Vera prædicatio aut est regularis aut figurata, aut inusitata.

Quid est prædicatio regularis ?

Que congruit ad aliquem modum, ex quinque prædicabilibus, id est, ubi species de indiuiduo, aut de specie uel indiuiduo genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens prædicatur.

Quid est figurata ?

Figurata est in sermone improprio, ubi tamen sententia uera est significata similitudine, ut, Tyrannus est Lupus, id est, similis Lupo.

Quis est modus inusitatus ?

In propositionibus de Filio Dei, quarum non sunt alia exempla in tota rerum uniuersitate, ut Deus est homo, Verbum caro factum est.

Dic sea



**Dic secundam diuisionem  
prædicationum.**

Prædicationum alia est essentialis, alia causalis, alia accidentalis.

**Quid est essentialis ?**

Cum idem de seipso, aut de individuo species, uel de specie aut individuo genus aut differentia, seu tota definitio prædicatur.

**Quæ est causalis ?**

Cum causa nominatur, quæ si est interior, prædicatio essentialis est, ut, panis est triticeus. Sed si causa efficiens aut finalis nominatur, proprie dicitur prædicatio causalis, & est dissimilis accidentali, ut, homo est creatura Dei.

**Quid est accidentalis ?**

Quando accidens de subiecto dicitur, ut, Vinum est dulce.

**Dic tertiam diuisionem.**

Prædicationum uerarum alie sunt necessarie, alie contingentes.

**Quæ sunt necessariae ?**

Quæ non

Quæ non possunt se aliter habere, & dicuntur illæ propositiones in quibus genus aut differentia aut proprium aut tota definitio de specie dicitur.

Quæ sunt contingentes?

In quibus accidentia de subiectis dicuntur, ut, Julius uicit Pompeium.

## DE PRÆDICAMENTIS.

Quid est prædicamentum?

Est ordo generum & specierum sub uno genere generalissimo, quod aut substantiam aut accidens aliquod significat.

Quod discrimen est prædicabilium & prædicamentorum?

Prædicabilia sunt ueluti tituli discernentes gradus seu res in prædicamentis. Prædicamenta uero sunt rerum appellationes, quæ per prædicabilia discernuntur.

Quid

Quid significat nomen κατηγορία?

Κατηγορία uel in genere est commemoratio,  
uel ut in foro nomen usurpabatur, accusatio.  
Initio enim ex foro nomina quædam ad artem  
dicendi translata sunt.

Quæ est utilitas prædicamen-  
torum?

Prædicamenta docent primum discernere  
substantiam ab accidentibus. Secundo absoluta  
à relatiuis. Tertio docent ubi genera definitio-  
num quærenda sunt.

Quot sunt prædicamenta?

Decem. Substantia, Quantitas, Quali-  
tas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Vbi,  
Situs, Habitus.

Quæ est prima diuisio Entis?

Ens aut est substantia aut accidens.

Quid est Substantia?

Substantia est ens quod reuera proprium esse  
habet, nec est in alio, ut habens esse à sub-  
iecto.

B

Dic ali-

**Dic aliam definitionem.**

*Substantia est ens, quod habet proprium esse  
& sustinet accidentia.*

**Quomodo differunt primæ &  
secundæ substantiæ?**

*Primas substantias Aristoteles uocat indiui-  
dua. Secundas substantias uocat species & ge-  
nera, qui dicit: Destructis primis substantijs ni-  
hil est reliquum.*

**Quæ sunt apellationes sub-  
stantiæ?**

*ὄυσια quod proprie est essentia*

*ὑπόστασις ad cuius similitudinem Latini  
dixerunt substantiam, & ὑπεσάμενον uoca-  
runt quiddam quod subsistit.*

**Recita ordinem substantiæ.**

*Substantia*

B 2  
Ad quid



*Handwritten notes:*

Inanimata  
 qd non sentiunt  
 Animata  
 qd sentiunt  
 Perfecte mixta  
 qd sentiunt  
 Inanimata  
 qd non sentiunt  
 Animata  
 qd sentiunt

Ad quid prodest nosse hunc  
ordinem?

Primum hoc ipsum utile est, uidere seriem  
substantiarum in hac tota uniuersitate rerum.  
Secundo etiam genera in definitionibus sumun-  
tur ex hac tabella.

Vbi collocandæ sunt partes sub-  
stantiarum?

Pars semper in eodem ordine ponenda est, in  
quo totum collocatur, Vt, Caput, pectus & pedes  
sunt partes animalis, & reuera sunt substantiæ.

Vbi collocanda sunt priuatiua  
nomina?

Referuntur & priuatiua nomina ad domici-  
lia earum rerum quibus opponuntur, Vt, Lux est  
qualitas, ad idem domicilium & tenebræ refe-  
rantur.

## DE PRAEDICAMEN- to quantitatis.

Quid est quantitas?

Quantitas est magnitudo rei uel numerus, Et  
quantitati proprie conuenit mensurari uel di-  
uidi.

Quæ est

Quæ est prima diuisio quan-  
tatis?

Alia est quantitas continua, alia discreta.

Quid est continua?

Est magnitudo corporum, uidelicet, Longi-  
tudo, Latitudo, & Profunditas.

Quid est discreta?

Est numerus & oratio.

Quot sunt species quantitatis  
continuae.

Tres. Linea, Superficies & Corpus.

Quid est linea?

Est longitudo sine latitudine & profundita-  
te, cuius extrema sunt duo puncta.

Quid est superficies?

Est longitudo & latitudo sine profunditate.

Quid est corpus?

Est longitudo, latitudo & profunditas.

Quid est numerus?

Est multitudo ex unitatibus collecta.

Quare oratio in hoc prædicamen-  
to recenſetur?

*Quia in ea ſunt diuerſa interualla ſyllaba-  
rum & dictionum.*

## DE PRAEDICAMEN- to Qualitatis.

Quid eſt Qualitas?

*Qualitas eſt forma, per quam ſubſtantia effi-  
cax eſt, ſeu, quæ mouet ſenſus.*

Quot ſunt ſpecies qualitatis?

*Quatuor. Habitus, Potentiæ naturales,  
Adfectus, Figure.*

Quid eſt habitus?

*Habitus, Græce ἕξις, eſt qualitas comparata  
ex crebris actionibus in hominibus, qua recte  
& facile homines efficere illas actiones poſſunt,  
quæ à ſuo habitu gubernantur & iuuantur.*

Fit ne habitus in omnibus  
naturis?

*Non, ſed tantum in rationali natura, quia  
tantum rationalis natura aſſueſcitur poſſeſt.*

*Quomodo*



**Quomodo fit perfectus habitus?**

*Quando ars accedit ad naturalem impetum,  
qui ad agendum nos impellit.*

**Quomodo diuiditur habitus?**

*Penes subiecta. Nam alij habitus corporis,  
alij animæ sunt. Habitus corporis, Vt, Palestrica,  
Saltatoria, Iaculatoria.*

**Quotuplex est habitus animæ?**

*Duplex. Intellectus & Voluntatis.*

**Quid est habitus intellectus?**

*Est noticia.*

**Quotuplex est noticia?**

*Duplex. Alia est noticia obiecti simplicis,  
Vt, Recordatio Caroli. Alia est noticia propo-  
sitionum.*

**Quotuplex est noticia propo-  
sitionum?**

*Duplex. Certa & Incerta.*

**Quid est noticia incerta?**

*Noticia incerta dicitur opinio, cum uidelicet  
agnitam propositionem non amplectimur firma  
adsensione.*

B 4 Que

*Quæ est certa noticia?*

*Est agnitæ propositionis firmus ad sensus.*

*Quot sunt species noticiæ  
certæ?*

*Quinq;. Principiorum noticia, Scientia,  
Ars, Prudentia, Fides.*

*Quid est principiorum noticia?*

*Est agnoscere principia luce mentis nobis  
cum nata, & firmo ad sensu ea amplecti, natu-  
rali iudicio, sine confirmatione, ut bis 4. sunt 8.*

*Quid est scientia?*

*Scientia est noticia uera conclusionum, quibus  
propter demonstrationem firmiter assentimur.  
Ut, Coelum est finitum.*

*Quid est Ars?*

*Ars est noticia uera faciendorum seu fabri-  
candorum, Ut, Architectonica.*

*Quid est Prudentia?*

*Prudentia est noticia uera, quæ secundum  
rectans*

rectam rationem regit deliberationes honesta-  
rum actionum & rerum utilium.

Quid est Fides?

Fides noticia propositionum certarum, quas  
firma adfensione amplectimur, propter adseue-  
rationem testium ueracium.

Quæ est diuisio habituum uo-  
luntatis?

Alij sunt boni, alij mali.

Quid est habitus bonus?

Qui inclinatur ad agendum secundum rectam  
rationem, & est uirtus.

Quid est habitus malus?


Qui inclinatur ad agendum contra rectam ra-  
tionem, & est uicium.

Recita tabulam habitus.

B

§

Habitus



Que est



Quæ est secunda species qualitatis?

Est naturalis potentia uel impotentia.

Quid sunt naturales potentia?

Sunt uires in Substantia natæ, ut sint causæ certarum actionum, ut est potentia sentiendi, uidentendi & audiendi. Huc etiam σοφῶν naturales pertinent.

Quid est σοφὴ φροσίνη?

Est naturalis quædam beneuolentia in nostros.

Quæ est tertia species qualitatis?

Passio & passibilis qualitas, id est affectus & aliæ qualitates quæ sunt propria sensuum obiecta.

Quot sunt sensus?

Quinq; Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & tactus.

Quæ sunt obiecta sensuum?

Color, Sonus, Odor, Sapor, qualitatis primæ & secundæ.

Quæ sunt qualitatis primæ?

Calor, Frigus, Siccum & Humidum.

Quæ sunt secundæ.

Durum,

Molle.

Lubricum,

Aridum.

Asperum.

Asperum,	Lene
Crassum,	Tenuē
Glabrum,	Hirsutum
Graue,	Lene.

Quid est affectus?

Affectus est duplex, alius comitatur tactum,  
alius est motus cordis.

Qui comitatur tactum?

Qui tactū comitantur duo sunt, delectatio &  
dolor, qui sunt neruis cōmunes in toto corpore.

Qui sunt adfectus cordis?

Motus sequentes cognitionem, quibus cor aut  
persequitur aut fugit obiecta.

Quotuplices sunt adfectus cordis?

Duplices. Durabiles & Subiti.

Qui sunt durabiles?

Læticia, Spes, Tristitia, Metus. Ex his per  
mixtis oriuntur alij, Vt, Amor, Misericordia,  
Ira, Inuidia, Odium, Et hi similes sunt habitibus.

Qui sunt subiti?

Sunt motus cordis, qui reuera congruunt ad  
descriptionem prædicamenti passionis.

Recita tabulam huius tertiæ spe-  
ciei qualitatis.

Passio

Obiecta sensuum	Visus lux & color	} Albus Niger Rubeus Viridis	Auditus	} Sonus } Grauis Acutus Vox } Articulate Inarticulate	} Amarus Dulcis Austerus Stipticus
	Passio & passi- bilis qualitas.	Gust⁹ est sapor cui⁹ species eadē sunt	} Calor Frigus Humidū Siccum	} Primæ	} Durum, Molle Asperū, Lene Lubricū, Aridū Crassum, Tenue Glabrū, Hirsutū Graue, Leue
		Tact⁹ obiecta sunt qualitates			
Affect⁹	} Qui comi- tatur ta- ctū & est	} Delecta- tio } & est pa- ssio cor- poris	} Dolor	} Secundæ quæ ex primis fiūt, sunt	} Amor Misericordia Ira Odium Inuidia
	Qui est mo- tus cordis	Læticia Spes Tristitia Metus	} ex his per- mixtis fiūt		

Quæ

Quæ est quarta species qualitatis?

Figura, quæ proprie modus aut positus est quantitatum, Vt, Circulus, Triangulum, Quadrangulum, Mensa, Fenestra, Ianua.

## DE RELATIVIS.

*Relatio q̄ dicitur collatio uerborum ad alia.* Quæ est prima regula Relatiuorum?

Nomina alia dicuntur absoluta, alia relativa.

*Relatiua oriuntur ex p̄dicis p̄stantiis.* Quæ sunt absoluta nomina? Quæ substantias, quantitates aut qualitates, id est, res certas significant, quæ sine collatione cogitari possunt, Vt, Caliditas. Et ex his absolutis oriuntur relationes.

Quid sunt relationes?

Aut sunt applicationes rerum, aut ordinationes aut collationes, Vt, Calefactio est applicatio qua transfertur caliditas in aliud. Paternitas est ordo eius qui genuit ad genitum. Similitudo est duarum qualitatum convenientia quæ collatione intelligitur.

Quæ est secunda Regula?

Omne



*partes fundam. sunt ex se invicem in se  
compositis. finis ex se in se non aliter  
legitur.*

Omne relatiuum uersatur inter duo, quorum  
alterum uocatur Fundamentum, alterum Ter-  
minus.

Quid est Fundamentum?

Fundamentum est res à qua oritur relatio.

Quid est Terminus?

Terminus est res ad quam ordinata est re-  
latio.

*Linius fundam.  
mentis ex se  
suis finis ex  
quod potest  
nam ad di-  
mendum apud*

Quot sunt genera Relati-  
uorum?

Tria. Alia oriuntur ex substantia, alia ex  
Qualitatibus, alia ex quantitatibus.

~~Plurimum sunt  
ex se in se  
in se in se  
in se in se  
in se in se~~

Quæ oriuntur ex substantia?

Quæ ex substantia oriuntur sunt duplicia.  
Alia enim ex actionibus naturalibus. Alia ex acti-  
onibus uoluntatis oriuntur.

Quæ oriuntur ex actionibus  
naturalibus?

Causa	Effectus
Pater	Filius.

Quæ oriuntur ex actionibus  
uoluntatis?

Quæ ex

Quæ ex actionibus uoluntatis oriuntur ite-  
rum duplicia sunt. Alia enim personarum, alia  
rerum sunt.

Quæ sunt personarum?

Sacerdos,	Magistratus.
Ciuis,	Ciuitas.
Rex,	Dux.
Miles,	Scholasticus.
Dominus,	Seruus.

Quæ sunt rerum?

Commune,	Proprium,	Alienum
Potestas, seu	Facultas.	
Ius,	Dominium.	
Seruitus,	Contractus.	

Quæ oriuntur ex qualitatibus?

Causa,	Effectus.
Simile,	Dis simile.
Perfectum,	Imperfectum.

Ex noticijs.

Verum,	Falsum.
Certum,	Ambiguum.
Lex,	Doctrina.

Quid est Verum?

Est cons

tes  
lia  
rem. Est conuenientia noticiæ uel orationis ad

Quid est Falsum?

Falsum est dissonantia noticiæ uel orationis  
ad rem.

Ex uirtutibus oriuntur.

Honestum, Præmium  
Gloria, Honos.  
Concordia, Pax.

Ex uicijs oriuntur.

Peccatum, Pœna.  
Discordia, Bellum.

Quæ oriuntur ex quantitatibus?

Par, Impar.  
Aequale, Inæquale.  
Maius, Minus.

Ex proportione.

Totum, Dimidium.  
Duplum, Triplum.

Huc pertinent nomina significantia mensu-  
ras & pondera, ut partes assis, drachma, mina.

C De

# DE ACTIONE ET passione.

Quid est actio?

Actio est applicatio agentis ad patiens, qua fit mutatio aliqua in patiente.

Quid est passio?

Passio est nomen correlatiuum actionis, & significat receptionem actionis & effectus novos in patiente.

Quæ uocabula huc collocantur?

Verba & nomina uerbalia significantia motus.

Quid est motus?

Est agitatio substantie, qua acquirit alium quem terminum. *aliquum formam in se habentem*

Quot sunt species motus?

Sex.      Generatio,      Corruptio,  
                  Augmentatio & Diminutio.  
                  Alteratio              Motus localis.

Quid est generatio?

Est motus à non esse ad esse.

Quid est

**Quid est corruptio ?**

*Est motus ab esse ad non esse.*

**Quid est augmentatio ?**

*Est mutatio, qua acquiritur maior quantitas.*

**Quid est diminutio ?**

*Est mutatio, qua fit minor quantitas.*

**Quid est alteratio ?**

*Est motus, quo alia qualitas acquiritur.*

**Quid est motus localis ?**

*Est motus, quo subinde aliud spacium occupatur.*

**Quomodo diuiduntur actiones ?**

*In Naturales & Voluntarias.*

**Quæ sunt naturales ?**

*Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, & Alteratio.*

**Quæ sunt uoluntariæ ?**

*Voluntariæ sunt duplices. Intellectus & Voluntatis.*

**Quæ sunt intellectus ?**

C 2

Actiones

*Actiones artium, quæ partim motus locales  
partim alterationes sunt.*

*Quæ sunt uoluntatis?*

*Sunt interiores actiones uirtutū & uiciorum.*

*Quotuplices sunt actiones uo-  
luntatis?*

*Triplices. Oeconomica, Politica, Eccle-  
siastica.*

*Quæ sunt Oeconomicae?*

*Fouere & erudire liberos, curare rem do-  
mesticam &c.*

*Quæ sunt Politicae?*

*Administrare rempublicam, dicere in senatu  
sententiã, conferre operas & facultates ad com-  
munem pacem.*

*Quæ sunt Ecclesiasticae?*

*Sunt Cereemonia & actiones in Ecclesia.*

*Quotuplices sunt actiones Sacrae?*

*Duplices. Sacramenta & Sacrificia.*

*Quid sunt Sacramenta?*

*Sunt actiones diuinitus instituta, per quas  
Deus exhibet nobis promissa bona.*

*Quid*

**Quid sunt Sacrificia ?**

Sunt actiones diuinitus institutæ in quibus nos Deo reddimus certa opera secundum uocationem nostram, quorum finis est principalis ut eum honore adficiamus.

**Quotuplicia sunt Sacrificia ?**

Duplicia. ἰλασικὸν ἔνυχαραρισικὸν.

**Quid est ἰλασικὸν ?**

Est propiciatorium, quod est precium pro peccatis ἔ meretur remissionem peccatorum alijs. Tale est solius Filij DEI obedientia, in omnibus afflictionibus suis.

**Quid est ἔνυχαραρισικὸν ?**

Quod non meretur remissionem peccatorum sed fit à reconciliatis ut Deum honore adficient.

**DE PRAEDICAMENTO quando.**

**Quid significat interrogatio quando ?**

Interrogatio quando significat circumstantiam quæ est tempus.

**Quid est tempus ?**

C 3

Tempus

*Tempus est numerus alicuius motus secundum  
prius & posterius.*

**Quæ uocabula sunt in hoc præ-  
dicamento collocanda?**

*Nomina & Aduerbia tempus significantia,  
Vt, Annus, Mensis, Dies, Hora, Hodie, Cras, &c.*

**DE PRAEDICAMEN-  
to ubi.**

**Quid significat interrogatio Vbi?**

*Interrogatio Vbi significat circumstantiam  
quæ est locus.*

**Quid est locus?**

*Locus proprie spacium continentis corporis  
cedentis contento.*

**Quæ uocabula sunt in hoc Præ-  
dicamento collocanda?**

*Nomina Localia quorum alia significant  
proximum locum, alia significant hospitia.*

**DE PRAEDICAMEN-  
to situs.**

**Quid est prædicamentum situs?**

*Situs*



Situs significat statum seu positum corporis,  
et partium eius, Vt, Iacere, Stare, &c. Et huc  
collocanda sunt nomina et uerba quae tales po-  
situs significant.

## DE PRAEDICAMEN- to habitus.

Quid est praedamentum  
habitus?

Habitus significat hoc loco uestitum. Et huc  
uestium nomina collocanda sunt, Vt, Tunica,  
Thorax, &c.

## DE POSTPRAE- dicamentis.

Quid sunt post praedamenta?

Sunt aliquot uocabulorum ambiguorum enar-  
rationes, uidelicet oppositionis, particulae prius  
et aliarum.

Quot modis opposita di-  
cuntur?

Quatuor modis.

Quis est primus modus?

Primum contrarie opposita dicuntur, duae  
C 4 qualitates,

qualitates, quarum una pellit alterā, ut caliditas  
& frigiditas.

**Quis est modus secundus?**

Secundo, relative opposita sunt, relatiuum  
& correlatiuum, Vt, Pater & Filius. Hæc non  
possunt uni respectu eiusdem tribui.

**Quis est tertius modus?**

Tertio, priuatiue opposita sunt res & priua-  
tio, Vt, Lux & Tenebræ.

**Quis est quartus modus?**

Quarto, uocatur contradictio, quæ non est  
singularum rerum aut uocabulorum oppositio,  
sed tantum repugnantia propositionum, quas  
impossibile est simul ueras & falsas esse, Vt, sol  
mouetur, Sol non mouetur.

**Quæ est ambiguitas particulæ  
prius?**

Prius interdum significat quiddam antecedens  
tempore, Vt, Arbor necessario prior est pomo.

Interdum Prius significat quiddam ordine  
nature antecedens, etiamsi tempore simul est, ut  
uniuersaliter causa prior est effectu ordine na-  
ture, etiamsi tempore simul est effectus, Vt, Sol  
& spargere radios.

Interdum

Interdum Prius dicitur, quod antecellit dig-  
nitate, Vt, Consul prior est Senatore.

## DE DEFINITIONE.

Quotuplex est definitio?

Duplex. Alia nominis, Alia rei.

Quid est definitio nominis?

Est qualiscunq; non falsa nominis, seu lin-  
guæ, seu figuræ seu phrasis interpretatio.

Quid est definitio rei?

Definitio rei est oratio quæ essentiam, aut  
causas, aut partes, aut accidentia rei exponit.

Quot sunt conditiones bonæ  
definitionis?

Tres. Prima. Ne definitio sit angustior de-  
finito. Secunda, Ne Latius uagetur definitio  
quam definitum. Tertia, Vt sit sermo defini-  
tionis proprius, perspicuus, & sine ambiguitate  
significans membra quæ continet.

Quot sunt formæ definitio-  
num rei?

Quatuor. Essentialis, Causalis, Collecta ex  
coaceruatione partium, Et collecta ex coacerua-  
tione accidentium

C 5

Quæ no-

*potestab dūmū fūmū pūmū  
do fūmū. Erleſia*

*Definim  
enſio q  
finim.*

*Lex qd*

*forūm qn*

*nobesse q*

*Wat, pū*

*ſtūmū*

*nib f ro*

*nūmū q*

*molūm*

**Quæ nominatur essentialis  
definitio?**

*Quæ constat ex genere & differentia speci-  
fica, Vt, Homo est animal rationale.*

**Quæ nominatur causalis de-  
finitio?**

*Causalis definitio nominatur oratio, quæ di-  
serte causas uel omnes, uel aliquas recenset, ut  
rei naturam uel usum declaret.*

**Quæ nominatur collecta  
ex partibus?**

*Definitio collecta ex coacervatione partium,  
est oratio recitans partes seu essentielles, seu in-  
tegrales, præcipuas omnes eius rei, quæ declara-  
tur, Vt, Philosophia est cognitio artium dicen-  
di, Mathematicum, Physices, & doctrine de mo-  
ribus, quæ acie humane mentis intelligi & iudi-  
cari potest.*

**Quæ nominatur definitio col-  
lecta ex accidentibus?**

*Definitio collecta ex coacervatione acciden-  
tium, est oratio generi uel speciei adiungens uel  
propria accidentia rei, uel talem coacervatio-  
nem communium accidentium, quæ discernat  
eant*

*eam rem ab alijs, Vt, Ignis est elementum calidum & siccum, leuitate omnibus antecellens.*

## DE DIVISIONE.

*Quæ est utilitas ueræ diuisionis?*

*Vetus dictum est. Qui bene distinguit bene docet.*

*Quot sunt formæ diuisionum?*

*Quatuor.*

*Quæ est prima?*

*Prima est distinctio nominis multa significãtis in significata.*

*Quæ est secunda?*

*Secunda forma est diuisio generis in species, Quæ in omnibus artibus communissima est.*

*Quæ est tertia forma diuisionis?*

*Est diuisio totius in partes seu essentielles seu integrales. Hanc formam Cicero partitionem uocat, quia partes seu membra recenset.*

*Quæ est quarta diuisio?*

*Quarta forma est diuisio subiecti in accidentia propria.*

DE

## DE METHODO.

Quid est Methodus?

Methodus est recta uia seu ordo inuestigationis & explicationis siue simplicium questionū siue propositionum.

Quæ sunt Methodi quæstiones?

Quæ uiam monstrant cū de una uoce dicendū est.

Quot sunt quæstiones de una uoce?

Decem.

1. Quid uocabulum significet.
2. An sit res.
3. Quid sit res.
4. Quæ sint rei partes.
5. Quæ sint species.
6. Quæ causa.
7. Qui effectus.
8. Quæ adiacentia.
9. Quæ cognata.
10. Quæ pugnantis.

LIBER SE=

CVNDVS DE PRO=

positionibus.

Quid

## Quid est propositio?

Propositio est oratio indicatiua, unica & integra, uerum aut falsum sine ambiguitate uerborum significans, Vt, Sol mouetur.

## Quot sunt diuisiones propositionum?

Quinq;

### Quæ est prima?

Prima est secundum substantiã, aliæ enim propositiones Categoriæ, aliæ Hypotheticæ sunt.

## Quid est Categoricalis propositio?

Est una simplex indicatiua oratio, que per spicua adseueratione unum quiddam affirmat, aut negat, Vt, Sol est maior terra, Luna non est maior terra.

## Quid est hypothetica propositio?

Est oratio, in qua duæ Categoriæ per Grammaticam particulam, coniunctionem contexuntur, nec est unius rei adseueratio, Vt, Si emisti, debes precium dare.

## Quæ sunt partes propositionis Categoriæ?

Tres. Subiectum, Prædicatum & Copula.

Quid

### Quid est subiectum?

Subiectum est in Grammatica constructione prior nominatiuus, de quo aliud dicitur, Grammatici uocant suppositum.

### Quid est Prædicatum?

Prædicatum est descriptio sequens copulam, seu est uerbum nomini attributum, quod Grammatici uocant oppositum.

### Quid est copula?

Copula est uerbum substantiuum, quod est nexus seu uinculum quo prædicatum subiecto aligatur, Vt, Deus est iustus. Sed in uerbis inest copula per sese, Vt, Deus uere irascitur peccatis.

### Quæ est secunda diuisio propositionis Categoriæ?

Est secundum qualitatem. Propositionum enim Categoriarum alia est affirmatiua, alia negatiua.

### Quid est affirmatiua?

Est, quæ asseuerat aliquid adesse seu inesse subiecto, Vt, Paries est albus.

### Quid est negatiua?

Quæ asseuerat aliquid adesse subiecto per particulam negatiuam conueniente loco positam, ubi



tam, ubi uere remouet prædicatum à subiecto,  
Vt, Epicurea Philosophia, quæ adfirmat uolup-  
tatem esse summum bonum, non est uera.

### Quæ est tertia diuisio?

Tertia diuisio est secundum quantitatem.  
Propositionum aliæ sunt uniuersales, aliæ parti-  
culares, aliæ indefinitæ, aliæ singulares.

### Quid est propositio uniuersalis?

Uniuersalis propositio est, in qua signum  
uniuersale additur subiecto, ut cõplectatur om-  
nia de quibus subiectum dici potest, Vt, Omnes  
stellæ sunt corpora lucida. Nulla Stella est con-  
flata ex Elementis.

### Quid est propositio particularis?

Propositio particularis est, in qua signum  
particulare subiecto additur, ut complectatur nõ  
omnia sed aliqua, seu multa, seu pauca, de qui-  
bus subiectum dicitur, Vt, Aliqui homines timent  
Deum. Aliqui homines non timent Deum.

### Quid est indefinita?

Indefinita est, in qua subiectum est uocabu-  
lum cõmune sine signo positum, significans ali-  
as Idæam aliàs Particulariter, Vt, Eloquentia est  
facultas

*facultas sapienter, recte, perspicue & ornate  
dicendi de Deo & alijs rebus bonis.*

*Quid est singularis?*

*Singularis est, in qua subiectum est proprium  
nomen, seu indiuiduum, Vt, Marcus Cicero est  
orator. In principio erat uerbum, id est, Filius  
Dei erat in principio.*

*Quæ est quarta diuisio  
propositionum?*

*Est secundum ueritatem. Alia enim uera, Alia  
falsa est.*

*Quid est propositio uera?*

*Propositio uera est asseueratio cum re consensu  
sentiens, Vt, Cælum semper mouetur.*

*Quid est propositio falsa?*

*Propositio falsa est oratio dissentiens à re.  
Vt, plures sunt mundi.*

*Quæ est quinta diuisio?*

*Quinta diuisio propositionum est secundum  
materiam, alie enim sunt necessariae, alie con  
tingentes, alie impossibiles.*

*Quæ sunt necessariae?*

*Necessariae sunt, in quibus de specie, aut ge  
nus, aut*

us, aut differentia, aut proprium, aut tota de-  
finitio predicatur, Vt, Homo est animal ratio-  
nale.

**Quæ sunt contingentes?**

In quibus accidentia communia de subiectis  
predicantur, Vt, Lapis est albus.

**Quæ sunt impossibiles?**

In quibus pugnantia iunguntur aut species  
disparate, Vt, Cecitas est uisus. Aper est Ceruus.

**Quomodo quæritur de pro-  
positionibus?**

Per dictiones, quæ, qualis, quanta. Prima  
particula interrogat, an propositio sit Catego-  
rica uel Hypothesica. Secunda an sit affirmatiua  
aut negatiua. Tertia, an sit uniuersalis aut par-  
ticularis, aut indefinita, aut singularis.

## DE OPPOSITIONE.

**Quot sunt species oppositionis  
propositionum?**

Tres sunt. Contrariæ, Subcontrariæ & Con-  
tradictoriæ.

**Quid sunt contrariæ?**

Contrariæ sunt duæ uniuersales, quarum al-  
D tera est

tera est affirmatiua, altera negatiua, eorundem extremorum sine ambiguitate intellectæ, Vt, Omnes dies artificiales, sunt æquales, Nulli dies artificiales sunt æquales.

### Quæ sunt subcontrariæ?

Subcontrariæ sunt duæ particulares, quarum altera est adfirmatiua, altera negatiua, Vt, Quidam dies artificiales sunt æquales. Quidam dies artificiales non sunt æquales.

### Quæ sunt contradictoriæ?

Contradictoriæ sunt, uniuersalis adfirmatiua, & particularis negatiua, Vt, Omnes dies artificiales sunt æquales. Quidam dies artificiales non sunt æquales.

Item uniuersalis negatiua & particularis adfirmatiua, Vt, Nulli dies artificiales sunt æquales, Quidam dies artificiales sunt æquales.

Item, duæ singulares, altera adfirmatiua, altera negatiua, Vt, Roscius interfecit patrem. Roscius non interfecit patrem.

Item, duæ indefinitæ, in quibus Idea significatur, Vt, Virtus est finis hominis. Virtus non est finis hominis.

### Exemplum oppositionis?

Omnes

Omnes herbæ  
sunt salubres  
homini.

*Contrarie*

Nulla herba  
est salubris  
homini.

*Subalterne*

*Contra*

*diſtorie*

*Subalterne*

*Contra*

*diſtorie*

Quædã herbæ  
sunt salubres  
homini.

*Subcontrarie*

Quædã herbæ  
non sunt salu-  
bres homini.

Quot sunt regulæ siue leges  
oppositionum?

Quatuor.

Quæ est prima?

In propositionibus oppositis eadem sint ex-  
trema de eodem loco & tempore, respectu eius-  
dem, & sine ulla ambiguitate intellecta, Ut, Hæ  
non pugnant de diuersis temporibus intellectæ.  
Pompeius est uictor, Pompeius non est uictor.

Quæ est secunda?

Contrarie nunquam possunt simul ueræ esse,  
sed in materia contingenti possunt simul esse  
false.

falsæ, Vt, Omnia poma sunt flaua, Nulla poma sunt flaua. Hic utraq; falsa est, Nam multa sunt rubra poma.

Quæ est tertia regula?

Subcōtrariæ nunquã simul falsæ esse possunt, Sed in materia contingenti possunt simul esse ueræ, Vt, Quædam poma sunt flaua, Quædam poma non sunt flaua.

Quæ est quarta?

Impossibile est duas contradictorias simul ueras, aut simul falsas esse, Quodlibet enim est aut non est.

## LIBER TER TIVS DE ARGV- mentatione.

Quid est Argumentatio?

Argumentatio est oratio, in qua conclusio aliqua confirmatur aut refutatur, per alias notiores propositiones, continentes causam conclusionis, & recte ad eam accommodatas.

Quid est bona consequentia?

Est recte

Est recta connexio omnium partium in argu-  
mento, in qua nullum præceptum dialecticæ vio-  
latur.

Quot sunt species argumen-  
tationis?

Quinq; Syllogismus, Enthymema, Indu-  
ctio, Exemplum & Sorites.

Quid est Syllogismus?

Est oratio, in qua positis & concessis duabus  
propositionibus, quæ ex duobus terminis ita iun-  
ctæ sunt, ut sint causa conclusionis, necesse est se-  
qui eam conclusionem, Vt.

Omne uinum calefacit.

Maluaticum est uinum

Ergo Maluaticum calefacit.

Quot sunt partes Sillogismi?

Partes sunt duæ propositiones ante conclusi-  
onem, in quibus sunt termini simplices tantũ tres,  
tanquam principalia membra.

Quomodo uocantur partes  
Syllogismi?

Prior propositio uocatur maior, Secunda  
minor. Termini autem uocantur maior, minor &  
medius.

**Quid est terminus maior?**

Qui tantum in prima propositione ponitur  
& tribuitur postea subiecto conclusionis.

**Quid est minor?**

Qui tantum in secunda propositione ponitur,  
& est is, de quo questio est, de qua in con-  
clusionione pronuntiatur.

**Quid est medius?**

Qui bis ponitur ante conclusionem, quia est  
vinculum duarum propositionū, & causa quare  
subiectum & prædicatum, in aduersatiua conclu-  
sione iungantur. Et quare in negatiua distra-  
hantur.

**Quare duas propositiones esse  
necesse est.**

Quia, quicquid confirmatur aut refutatur  
per aliquam causam confirmatur aut refutatur.  
Eam causam cum primum ponimus necesse est unā  
propositionem constitui, quæ causam recitat &  
quasi fundamentum est totius ædificij. Huic ad-  
ditur altera, quæ causam ad subiectum conclusi-  
onis, in prima figura hoc modo applicat, quia  
ostendit in subiecto maioris reuera includi sub-  
iectum conclusionis. Vt,

Omnes



Omnes res conditæ à Deo in natura humana,  
sunt res bonæ.

σοφῶναι sunt res conditæ à Deo in homine.

His duabus propositionibus positis necessario  
sequitur conclusio, Ergo σοφῶναι sunt res bonæ.

Quare Syllogismus est bona  
consequentia?

Quia quicquid dicitur uniuersaliter de ge-  
nere id de specie inclusa in genere dici necesse  
est. Hæc sententia causa est, propter quam posi-  
tis maiore & minore in prima figura, necesse est  
sequi conclusionem.

Quot sunt regulæ generales  
de Syllogismis?

Tredecim.

Quæ est prima?

Ex puris negatiuis non necesse est sequi ue-  
ram conclusionem, quia negatiuæ sine ullorum  
extremorum connexionem nimis late uagantur, ut,

Nullus lapis est baptisandus.

Nullus infans est lapis.

Ergo nullus infans est baptisandus.

Quæ est secunda?

In syllogismo non sint plures termini quam  
tres, quia turbatur connexio, ut,

D 4

Magi,

*Magistratus politicus debet ui corporali cohercere contumaces.*

*Petrus est Apostolus, Ergo  
Petrus debet ui corporali cohercere Annam &  
Caipham.*

*Quæ est tertia:*

*Cauendum est, ne sit ambiguitas in terminis,  
quia ambiguae uoces cum faciant quatuor terminos,  
nos, distrahunt connexionem, Ut,*

*Nullus seruus est liber.*

*Omnes uere credentes Euangelio sunt  
liberi.*

*Ergo nulli uere credentes Euāgelio, sunt  
serui.*

*Quæ est quarta:*

*Non ualet consequentia mutato genere præ-  
dicationis usitato, in peregrinum & inusitatum,  
quia fit ambiguitas, Ut,*

*Omnis caro est creatura*

*Verbum quod est Filius Dei est caro*

*Ergo uerbum est creatura.*

*Quæ est quinta:*

*Ex puris particularibus non est necesse sequi  
ueram conclusionem, Ut:*

*Aulici*

Aulici fiunt diuites,  
Ego ero aulicus,  
Igitur ero diues.

Quæ est sexta :

Non sit plus in conclusione, quam fuit in  
premissis. Iudæi sic contra Ieremiam argu-  
mentabantur.

Ecclesia seruabitur,  
Semen Abrahæ est Ecclesia,  
Ergo sic seruabimur, non delebitur tem-  
plum.

Quæ est septima :

Medius terminus nunquam fit membrum in  
cōclusionē quia causa est in premissis monstrata,  
propter quam reliqui duo termini coherent, Ut  
Iusticia est uirtus,

Obedientia scholastica est iusticia,  
Ergo Obedientia scholastica est uirtus.

Non autem repetendum est iusticia, ut si uelis  
dicere, Obedientia scholastica quæ est iusticia  
est uirtus.

Quæ est octaua regula :

Conclusio semper imitatur partem debilio-  
rem. Ideo semper particularem premissam se-  
quitur

quitur conclusio particularis. Item negatiuam  
premissam sequitur conclusio negatiua, Vt,

Omnis uirtus est expetenda,

Obedientia est uirtus,

Ergo Obedientia est expetenda.

Quæ est nona:

Determinatio subiecti aut prædicati, quæ  
non est principale membrum, non misceatur  
conclusioni, Vt,

Omnes boni affectus in homine contaa  
minantur ab imbecillitate humana.

σοφῶν sunt per se boni adfectus

Ergo σοφῶν per se contaminantur.

Quæ est decima:

In prima & secunda figura maior semper  
sit uniuersalis, quia in prima proceditur à ge-  
nere uniuersaliter ad speciem; Sed in secunda fi-  
gura, quæ tantum est aduersatiuarum argumen-  
tationum, minor & conclusio per contraposi-  
tionem ex maiore inferuntur. Necesse est igitur  
maiolem uniuersalem esse, Vt,

Omnis homo est animal,

Nullus lapis est animal,

Ergo Nullus lapis est homo.

Quæ est undecima?

In prima

In prima figura, cū minor est negatiua, nihil sequitur, Vt:

Omne adulterium est puniendum.  
Nullum furtum est adulterium,  
Ergo nullum furtum est puniendum.

Quæ est duodecima:

In secunda figura tantum fiunt negatiui Syllogismi, quia est Antithesis duarum specierum, nec fit inclusio speciei in genere, ut in prima figura. Si enim fierent adfirmatiui, procederetur ex puris particularibus, seu à non distributo ad distributum, Vt,

Omnis homo est bibes,  
Omnis gallina est bibes,  
Ergo omnis gallina est homo.

Quæ est tredecima:

In tertia figura non fit conclusio uniuersalis. Perspicua ratio est, quia, ut prima figura procedit uniuersaliter à genere ad speciem, cum conclusione uniuersali, ita tertia figura procedit à specie ad genus. Posita enim specie necesse est poni genus. Sed conclusio tantum fit particularis, quia aliquid tribuitur generi propter unam speciem, quod non potest uniuersaliter generi tribui, Vt,

Malus.

Maluaticum est dulce  
Maluaticum est uinum,  
Ergo quaedam uina sunt dulcia.

### Quot sunt figurae Syllogismorum?

Tres sunt figurae, uariatae collocatione medij  
que ideo uariatur, quia non potest in omnibus  
materijs eodem modo procedi. Alias itur à ge-  
nere ad speciem, id fit in prima figura. Alias à  
specie ad genus, id fit in tertia figura. Alias di-  
uerse species discernuntur, id fit in secunda fi-  
gura.

### Quid est figura?

Figura est ordo terminorum qui uariatur  
collocatione medij.

### Quæ est prima figura?

Prima figura est talis ordo propositionum  
Syllogismi, ut medius terminus sit subiectum in  
maiore, et prædicatum in minore, unde conclusio  
necessario sequitur.

### Quot sunt modi primæ figuræ?

Quatuor directe concludentes. Sunt autem dô-  
cendi causa attributa modis hæc nomina: Bara-  
bara, Celarent, Darij, Ferio. In his literæ ad-  
monent, qualium propositionum connexio sit.

A signi-

- A** significat uniuersalem adfirmatiuam.  
**E** significat uniuersalem negatiuam.  
**I** significat particularem adfirmatiuam.  
**O** significat particularem negatiuam.

**Vnde sumit modus appella-  
tionem ?**

**Modus sumit appellationem à conclusione. Di-  
citur enim uniuersalis aut adfirmatiuus cum con-  
clusio est uniuersalis aut adfirmatiua.**

**Da exemplum primi modi.**

- Bar** Omne animal est substantia,  
**ba** Omnis homo est animal,  
**ra** Ergo Omnis homo est substantia.

**Da exemplum secundi.**

- ce** Nullum animal est lapis,  
**la** Omnis homo est animal,  
**rent** Ergo nullus homo est lapis.

**Da tertij modi exemplum.**

- Da** Omnis turpitudine est fugienda,  
**ri** Quaedam uoluptas est turpis,  
**i** Ergo quedam uoluptas fugienda est.

**Da exemplum quarti.**

**Pe Nu**

**Fe** Nulla lex naturæ est mutabilis,  
**ri** Lex prohibens adulteria est lex naturæ,  
**o** Ergo lex prohibens adulteria non est mu-  
tabilis.

Quæ est secunda figura?

Secunda figura est talis ordo propositionum syllogismi, ut medius terminus sit prædicatum in maiore & in minore, Vnde conclusio negatiua necessario sequitur. Est autem tantum aduersatiua rum argumentationum, quia est Antithesis duarum specierum, quas distrahit, nominato genere alterius, uel aliqua proprietate, unde per con-  
trapositionem sequitur conclusio negatiua, ut.

Omnis stella est perpetuum corpus.

Ergo quod non est perpetuum corpus,  
ut cometa, non est stella.

Quot sunt modi secundæ Figuræ?

Quatuor, Cesare, Camestres festino, Baro-

co.

Da exemplum primi modi

**Ces** Nulla stella consumitur,

**o** Omnes comete exiguo tempore consumun-  
tur.

re ergo



re Ergo Cometa est stella.

Da secundi modi.

Cam Omnes stellæ sunt corpora perpetua.

Es Nullæ traiectiones seu διαφωτες in æere  
sunt corpora perpetua.

tres Ergo nullæ traiectiones sunt stellæ.

Da exemplum tertij modi.

Fes Nulla natura elementaris habet insitas no-  
ticias,

ti Mens humana habet insitas noticias non  
aliunde acceptas,

no Ergo mens humana non est conflata ex na-  
tura elementari.

Da exemplum quarti modi.

Ba Omne corruptibile compositum est ex ele-  
mentis,

ro Mens humana non est composita ex elemen-  
tis.

co Ergo mens humana non est corruptibilis.

Quid est tertia figura?

Tertia figura est talis ordo propositionum  
syllogismi, ut medius terminus sit subiectum in  
maiore & minore, unde conclusio particularis  
sequitur.

Quot

Quot sunt modi tertiæ figuræ ?

Sex. Darapti, Felapton, Disamis, Datissi  
Bocardo, ferison.

Da exemplum primi modi ?

Da Omnes *σοφῶν* conditæ a deo in natura ho-  
minis sunt res suo genere bonæ,  
rap Omnes *σοφῶν* sunt adfectus,  
ti Ergo quidam adfectus sunt res suo genere  
bonæ.

Da secundi modi exemplum.

Fe Nullum iustum imperium est excutiendum  
Lap Omnia etiam iusta imperia habent aliqua  
ton onera duriora, & aliqua errata,  
Ergo aliqua onera duriora & aliqua er-  
rata non sunt excucienda.

Da tertij modi exemplum ?

Dis Ius naturale concedit defensionem con-  
tra latrones,  
a Ius naturale est ius diuinum,  
mis Ergo ius diuinum concedit defensionem  
contra latrones.

Da quarti modi exemplum ?

Da Om-

Da Omnis cognitio uirtutum necessaria est  
oratori,

tis Cognitio uirtutum est philosophia,  
i Ergo philosophia est necessaria oratori.

Da quinti modi exemplum.

Bo Prouocatio ad iudicem non est prohibita  
Christianis,

car Omnis prouocatio est uenire in iudicium,  
seu certare in iudicio cum aduersario.

do Ergo certare in iudicio non est prohibitum  
Christianis,

Da exemplum sexti modi.

Fe Nulla Hebenus est alba,

ris Hebenus est lignum Guaicum,

on Ergo lignum guaicum non est album.

## DE SYLLOGISMO

### Expositorio.

Quid est syllogismus expositorius?

Est syllogismus, in quo medium est singulare, cuius ordo ad tertiam figuram congruit.

Quæ est ratio eius consequentiæ?

In adfirmatiuis quod conuenit definito, idem  
conuenit definitioni, ut. E Hæc

Hæc res calefacit uentriculum,  
Hæc res est Zinziber,  
Igitur Zinziber calefacit uentriculum.

In negatiuis.

Petrus non tenuit imperium,  
Petrus tenuit clauēs Ecclesiæ,  
Ergo clauēs Ecclesiæ non sunt imperiū.

Item alius syllogismus.

Deus est deus uiuorum,  
Deus est deus Abrahæ,  
Ergo Abraham uiuit,

De enthymemate.

Quid est enthymema?

Enthymema est imperfectus syllogismus,  
quia fit recitata una syllogismi propositione &  
addita cōclusionē. Omittitur autem altera pro-  
positio uel breuitatis causa, quia cum nota sit,  
uidetur recitatio ingrata esse, uel quia non sa-  
tis firma est. Alias autem maior, alias minor  
desideratur.

Clodius prior impetū fecit in Milonem,  
Fuit igitur iusta Milonis defensio.  
Hic deest maior. Defensio iusta est aduersus  
eum, qui

eum, qui non lacessitus uim iniustam infert.

Quid est enthimema secundum  
Aristotelem?

Enthimema est syllogismus imperfectus ex  
Icotibus & signis.

Quid sunt icota?

Signa conuenientia & uerisimilia quae ple-  
runq; significant sed non semper, ut.

Hic est pallidus,

Igitur laborat cruditate.

Quid sunt τεκμήρια

Sunt signa necessaria, uidelicet, effectus  
propriij, aut causae sufficientes, aut proprietates  
adiunctae causis uel effectibus, ut.

Lucescit,

Ergo sol oritur.

Quot sunt partes enthymematis?

Tres, Antecedens, Consequens &  
Consequentia.

Quid est antecedens?

Est prior Enthymematis pars, scilicet maior  
aut minor in enthymemate posita.

**Quid est consequens?**

Est posterior Enthymematis pars, scilicet conclusio.

**Quid est consequentia?**

Consequentia est ratio propter quam ista coherent, ac ipsa reliqua propositio, quæ ad syllogismum absoluendum necessaria est & semper requiri debet.

**Quid negatur in enthymemate?**

Aut antecedens, aut consequentia. Consequens enim negare absurdum est.

**Quando negatur antecedens?**

Quando posita in Enthymemate propositio falsa est, ut.

Poetæ docent inutilia.

Igitur iuste eiecit eos Plato è ciuitate, ibi negatur antecedens quia propositio est falsa.

**Quando negatur consequentia?**

Quando propositio uera, sed conclusio falsa est, quia tunc omnia membra in integrum syllogismum redacta non coherent, ut.

Ebrietas est mala.

Ergo uis

Ergo uinum est malum.

Ibi negatur consequentia, quia propositio  
quæ omittitur est falsa. Nam uinum non est cau-  
sa ebrietatis.

## De Inductione.

Quid est Inductio?

Inductio est ex singularibus sufficientibus  
enumeratis constituere uniuersalem, ut.

Vinum Creticum calefacit

Vinum Italicum calefacit

Vinum Rhenanum calefacit,

Nec ullum dissimile exemplum monstrari po-  
test, Ergo Omne uinum calefacit.

Quare ualet cōsequentia in Inductione?

Quia idem prorsus significant propositio  
uniuersalis, & collectio omnium singularium  
sub ea.

Cur additur. Nec potest dissimile  
exemplum reperiri?

Quia ut uniuersalis uera sit necesse est con-  
gruere omnes singulares.

## De Exemplo.

Quid est exemplum?

E 3

Exemplum

Exemplum est forma argumenti, qua singulare per aliud singulare in una specie confirmamus, propter similem rationem.

Quæ est ratio cōsequentia in exemplo?

Quia de similibus idem est iudicium, ut, Maxima pars generis humani in diluuiio perijt propter libidines.

Ergo & postea sine ulla dubitatione puniuntur libidines.

Quando non ualet consequentia in exemplo?

Vbi ratio dissimilis est, ut.

Abraham recte fecit uolens immolare filium.

Ergo Iephthe recte fecit immolans filium suum.

Ibi consequentia non ualet, quia est ratio dissimilis, Abraham habebat mandatū Dei, Iephthe sine mandato & contra legem stultum uotū fecit, quem secundum Legem uouere & sacrificare oportuisset.

De Sorite.

Quid est sorites?

Sorites est argumentatio, in qua prædicatio prima



primæ propositionis aliud prædicatum attribui-  
tur necessario coherens, eodemq; modo ulterius  
procedi per gradus potest, donec in conclusione  
ultimum prædicatum additur primæ proposi-  
tionis subiecto, ut.

Homo est animal.

Animal est viuum corpus,

Viuum corpus est substantia,

Ergo Homo est substantia.

Qui sunt uiciosi soritæ?

Nulli fiunt negatiui soritæ, & in adfirma-  
tiuis tantum illi ualent, in quibus uocabula ne-  
cessario coherent, ut species, genera, differentia,  
propria, Item cum causis per se ac proprijs at-  
texuntur proprii effectus. Vt consequentia non  
ualet in negatiuis.

Homo non est Leo,

Leo est animal.

Ergo homo non est animal.

Nec ualet consequentia cum uoces non ne-  
cessario coherentes iunguntur, ut.

Ex malis moribus fiunt bonæ leges,

Bonæ leges sunt dignæ laude,

Dignæ laude sunt expetenda,

Ergo mali mores sunt expetendi.

E 4 Quomodo

Quomodo conuenit Sorites ad  
gradationem rhetoricam  
quæ uocatur Climax

Vsitata est gradatio in omni sermone, quia  
necesse est in ratiocinando sepe causas & effectus  
contexere, ut Roma 5.

Tribulatio patientiam operatur,  
Patientia autem probationem,  
Probatio uero spem,  
Spes autem non confundit,

In quo differunt κλιμαξ & Sorites?

Tunc proprie Sorites dicitur, quando sub  
iectum primæ propositionis in conclusione reo  
petitur, ut.

Inscitia literarum parit tenebras reli  
gionis.

Tenebræ religionis pariunt superstiti  
onem aut Ethnicum contemptum Dei.

Hic si addas conclusionem repetitio princi  
pio erit Sorites, Ergo inscitia literarum parit su  
perstitionem aut Ethnicum contemptum Dei.

DE REGVLIS CONSE  
quentiarum,

Quot

Quot sunt regulæ consequentiarum?

Viginti.

Quæ est prima regula cōsequentiarum?

Ex uniuersali recte sequuntur suæ particulares & singulares. Sed non contra, ut non ualet consequentia.

Dionisius superior, & Tiberius habuerunt placidos exitus.

Ergo omnes Tyranni habent placidos exitus.

Quæ est secunda?

Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur & ad antecedens, ut.

omnia politica officia sunt concessa Christianis,

Ergo iudicia sunt concessa, & per consequens, Litigare in foro est concessum.

Quæ est tertia regula consequentiarum?

Ab eo quod inest per se, ad aliud, quod per accidens accedit, non est bona consequentia, nec e contra, ut.

Temperantia est bona.

Febris adfert temperantiam,

Ergo Febris est bona,

E 5

Quot

Quot sunt modi dicendi per se?

Quatuor.

Qui est primus modus dicendi per se?

Cum definitio uel pars definitionis de definito, uel idem de seipso prædicatur.

Qui est secundus modus?

Cum propria passio, ut uocant, de subiecto dicitur, ut, Homo loqui potest.

Qui est tertius modus?

Est propositionum, in quibus dicitur ipsum esse, seu existere de singulari, quod uere tunc est in rerum natura, ut Carolus existit. Hic significatur uia Caroli substantia.

Qui est quartus modus?

Est propositionum, in quibus proprii effectus proprijs causis attribuuntur, uel econtra, ut, Voluntate uolumus, Mente intelligimus.

Quæ est quarta regula consequentiarum?

Pugnantia non tribuuntur uni & eidem simul, & respectu eiusdem, ut, Euangelium prohibet discerni cibos. Hæc non pugnant, quia fines sunt diuersi.

Quæ

Quæ est quinta?

Duæ contrariæ qualitates graduum excellentium, non sunt simul in eodem subiecto, Ut aquaualde calefacta nõ potest simul frigida esse.

Quæ est sexta?

Inter contrarias posita una qualitate in gradibus excellētibus, remouetur contraria qualitas. Ut. Paries est niger, Ergo non est albus. Sed contra. Remoto uno contrario non Oportet poni alterum, præsertim in contrarijs mediatis, Ut non valet consequentia. Vestis non est alba, Ergo est nigra.

Quæ est septima?

Regula uera est de omnibus pugnantibus, opponi ea iuxta differentias quibus dissident, non iuxta genus aut communia accidentia. Ut, non valet consequentia.

Color est qualitas,

Igitur frigus non est qualitas.

Sed iuxta differentias fiat oppositio. Pater differt à filio hac essentiali differentia, quòd pater genuit, Filius est genitus. Valet igitur consequentia.

Zacharias

Zacharias genuit Ioannem Baptistam  
Ergo fuit pater Baptiste, & Baptistam  
filium fuisse necessario sequitur.

Quæ est octaua ?

Cum ex causis non sufficientibus adfirmamus sequi effectum, non ualet argumentatio, ut Pompeius habet exercitum parem multitudine exercitu Iulij, Ergo uincet.

Quæ est nona ?

Propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale est, Vt.

Aqua calet propter ignem,  
Ergo ignis magis calet.

De finalibus non dubiū est ualere eam ubiq; & sine exceptione, In materiali & formali consuetudo sermonis uti hac regula prohibet, Vt.

Cyrus est clemens propter clementiam,  
Ergo clementia est magis clemens.

Nec semper ualet in gradibus efficientium causarum, ut.

Ouidius est poeta propter præceptorem,  
Ergo præceptor fuit magis poeta.

Non ualet consequentia in efficientibus partialibus, nec in remotis, nec de effectibus qui sunt priuationes, Vt.

Tiberius

Tiberius insanit propter uinum,  
Ergo uinum magis insanit.

Quæ est decima?

Ex non sufficienti enumeratione partium  
non ualet argumentum, ut.

Iura Mosaica & uetera Romana non  
suspendunt furem.

Ergo fur non est suspendendus.

Quæ est undecima?

A diuisis ad coniuncta ualet consequentia,  
si natura patitur coniungi accidentia, ut.

Demades est orator & facetus.

Ergo est facetus orator.

Sed non ualet consequentia cum iunguntur  
accidentia animæ & corporis, aut res alioqui dis-  
crepantes, ut.

Iste est claudus & est citharædus.

Ergo est claudus citharædus.

Quæ est duodecima?

Ab est tertij adiecti ad est secundi adiecti  
ualet consequentia, cum accidens posituum de  
substantia prædicatur, Vt.

Paries est albus.

Est igitur paries.

Non Va?

Non ualet hec forma in priuatiuis & de  
Ideis.

Plato est mortuus,  
Est igitur Plato.

De Ideis, Rosa est planta, Igitur, Rosa est,  
id est, subsistit, non ualet. In hyeme enim non  
sunt rosæ.

Quæ est Tredecima?

Dicit de aliquo requirit inesse. Quod uerum  
est tantum de accidentibus positiuis & durabili-  
bus, ut.

Alexander est fortis,

Est igitur in eo fortitudo.

De actionibus transeuntibus uerum est opera-  
tere eas adfuisse.

Harpalus est fur,

Igitur est furatus.

Quæ est quartadecima?

Talia sunt subiecta, qualia à predicatis per-  
mittuntur, non absurde sed dextri intellectus, ut  
cum dico.

Paulus est pictus, imago intelligitur.

Quæ est quintadecima?

In interpretatione uitanda est absurditas.

Quot



de  
Quot modis dicuntur absurda?

Duplici modi, Aut enim in philosophia, aut  
in Ecclesia dicuntur absurda.

st.  
on  
Quæ dicuntur absurda in philosophia?

Quæ pugnant cum sensu communi, id est,  
cum principijs natura notis, cum uniuersali expe-  
rientia & uicinis, illustribus, & immotis testimo-  
nijs.

Quæ dicuntur absurda in Ecclesia?

Quæ pugnant cum lege Dei, articulis fidei  
& symbolis, & cum sermonis proprietas in spe-  
ciem continet absurditatem, decurrendum est ad  
figuras. Vt Tyrannus ex Lupus, id est, similis  
Lupo.

Quæ est sedecima?

Ex uero nil nisi uerum sequitur, & uerum  
uero consonat.

Virtus amatur, Ergo Iustitia amatur.

Quæ est septimadecima?

Dato uno inconuenienti sequuntur infinita.  
ut.

Petrus habuit duos gladios,

Ergo Ecclesia utrumq; gladium habet.  
secularems

secularem & spirituales potestatem.  
Huc etiam pertinet illud dictum. Ad impossi-  
bile sequitur quodlibet, ut.

Si haberem pennas, uolarem.

Quæ est octauadecima.

A possibili ad impossibile non ualet consequentia, ut.

Deus potest stannum mox uertere in au-  
rum. Ergo stannum est aurum

Quæ est nonadecima?

A conuersa ad conuertentem, & contra  
ualet consequentia, ut.

Omnes electi uocantur,

Ergo quicumque sunt extra coetum uoca-  
torum, non sunt electi.

Quæ est uigesima?

Non ualet consequentia mutato genere pre-  
dicationis usitato in peregrinum seu in inusitatum

Omnis caro est creatura,

Verbum est caro,

Igitur Verbum est creatura.

## DE SYLLOGISMO

Hypothetico.

Quid est propositio Hypothetica?

Est pro

Est propositio in qua due Categoricalæ per  
aliquam coniunctionem connexa sunt, ut.

Si emes, erit dandum precium.

Quot sunt species hypotheticæ  
propositionis ?

Tres,      Conditionalis, Copulatiua, & Dis-  
iunctiua.

Quid est conditionalis ?

Cui præponitur particula Si, quæ signifi-  
cat propositionem totam nihil asseuerare, nisi  
posita causa, uel modo, quem particula Si desig-  
nat, ut.

Si Pharao obtemperabit Moysi, non pe-  
ribit.

Quæ est regula de ueritate  
conditionalium ?

Conditionalis nihil adseuerat nisi posita  
causa, uel modo in antecedenti, ut, Si Asinus uo-  
lat, habet pennas.

Quomodo fiunt Syllogismi  
conditionalium ?

Hoc modo. Initio ponitur tota conditionalis,  
deinde loco minoris altera pars sumitur, unde  
ratio

F

*rationemur in conclusione alteram, sic.*

*Si emit, debet precium.*

*Sed emit,*

*Ergo debet precium.*

*Quæ est prima regula consequentiæ?*

*Valet consequentia affirmatiua à positione  
antecedentis ad positionem consequentis, ut.*

*Si homo est, animal est,*

*Sed homo est,*

*Ergo animal est.*

*Quæ est secunda regula?*

*Valet consequentia negatiuè à destructione  
consequentis. ad destructionem Antecedentis, ut.*

*Si homo est, animal est,*

*Sed nullum animal est.*

*Ergo homo non est.*

*Quid est propositio copulatiua?*

*Copulatiua est, in qua due propositiones  
iunguntur per particulam copulatiuam, ut.*

*Et mortuus est Christus, ut pro nobis uictima  
fieret, & ex morte reuixit, ut nos regat  
noua luce, iustitia & uita eterna donet.*

*Quæ est regula de ueritate copulatiuæ?*

*Ad ut,*

Ad ueritatem copulae requiritur, ut utraq;  
pars sit uera, et manet in renatis in hac motali  
uita infirmitas repugnans Legi dei, & renatus  
iustus est, id est, acceptus Deo propter filium me-  
diatorem, fide.

### Quomodo fiunt inde syllogismi?

Hoc modo. A tota copulatiua ad quamlibet  
eius partem est bona consequentia, ut si haec tota  
uera est, necesse est partes ueras esse.

Et politicus ordo in societate hūana, Dei  
beneficium est, & accedunt in imperijs  
multae confusiones & uicia quae non ori-  
untur à Deo, ut blasphemiae & tyranni-  
des.

Sed haec tota uera est. Verum est igi-  
tur blasphemias & Tyrannides, quae  
sunt imperiorum confusiones & uicia,  
nequaquam à Deo oriri.

### Quaest regula consequentiae copulatiuae?

Non ualet consequentia à parte copulati-  
uae ad totam, quia depræhensa falsitate unius par-  
tis, non admittenda est tota copulatiua. Confusio  
est enim per cōpulam uera & falsa coniungere.

**Quid est propositio disiunctiua?**

Disiunctiua est, in qua due propositiones iunguntur per particulam disiunctiuam. ut, Aut uoluptas est finis hominis, aut uirtus.

**Quæ est regula de disiunctiua?**

Ad ueritatem disiunctiue satis est alteram partem esse ueram. ut, Stuprum offerens uirgini aut ducat eam, aut det dotem.

**Quomodo fiunt inde syllogismi?**

Valet consequentia à remotione unius partis aut plurium, ad asseuerationem reliquæ partis, ut.

Iustum est suspendi furem, quia id aut diuino iure, aut ueteri Romano, aut nouis legibus constitutum est, aut probabili consuetudine longi temporis receptum est.

**Quæ est prima regula consequentiarum in disiunctiuis?**

Vt sit partium enumeratio integra.

**Quæ est secunda?**

Tantum hoc iter traditur in hac forma, ut  
à remotione

à remotione unius partis procedatur, ad asseue-  
rationem alterius.

**Dic formam syllogismi in disiunctiuis**

Initio tantum loco maioris ponitur tota dis-  
iunctiua, deinde minor unius partis remotio est.  
Sequitur ergo cōclusio, asseueratio reliquæ par-  
tis, ut.

Aut propter Legem, aut propter fi-  
lium Dei *ἰκέτην καὶ μεσίτην* fide recipi-  
mur in gratiam à Deo. Sed propter le-  
gem non recipimur in gratiam, quia in  
hac infirmitate natura humana non sa-  
tisfacit legi Dei, & semper circumfert  
aliqua peccata. Ergo propter filiū Dei  
recipimur fide.

**MAGDEBURGAE.**

Excussit Michael

Lotther.







Cicero.  
Hic sumit impetum quo /  
a natura, sed perficitur  
fortuna & exercitatione.  
Albertus Diverius,  
Ingenia in exorta sunt  
similia spiritibus impolitis.

¶  
ut in solo amanofo, famulo, seu  
stulti nihil proficiat agraioles  
labor, seminum proficiantia &  
vati clementia: Ita ingenia  
deprimantur neq; propter diti-  
gama, neq; doctores proficiantia  
neq; moibus vel refrigerationib;  
ad virtutum flumini possunt.

), s, s, f

Ch 320<sup>a</sup>

ULB Halle 3  
002 163 179




So. f

(So. 3. Band)

~~Donnerstag~~ ~~ist~~ ~~in~~ ~~der~~ ~~Stadt~~  
Donnerstag ist in der Stadt







5. *Fb 347* 5

**P R I M A**  
**RVDIMENTA DIA-**  
lecticæ pro incipientibus ex res  
centiore Philippi Melans  
thonis Dialectica  
excerpta.

Per Doctorem Nicolaum  
Medlerum.

1 5 4 9.

*Biab anjo*  
*pūx ad senectam, maritimi pax*  
*Thales*  
*Ne forma, sed animus ut videat*  
*Itū de vīs*  
*Cleobulus*  
*Nūlla cūditio melioris opto*  
*Idem*  
*Nihil est inexpugnabile si ligentia*

